

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



55
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO XXII.

continens

ANTI-OEIN ARTICVLI VII.

De Ecclesia,

Et in specie,

DE QVÆSTIONE:

An Lutherana Ecclesia sit vera
CHRISTI Ecclesia.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. JOHANNÈ HERTELIO, Adorfensi

Varisco Alumno Brandenburg.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem Sept.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM PRIMUM
in Augustiniani Concessionem

DE
CONTRADICTIONE

De Ecclesia

in Augustiniani Concessionem
quod ad contradi-
ctionem pertinet

in Augustiniani Concessionem

JACOBO MARIANO

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem

in Augustiniani Concessionem





D. O. M. A.

Continuatio.

Sequitur nunc apud Becanum, in tractatu de Ecclesia, sexta & ultima Conclusio, quam sic format: *Ecclesia Lutheranorum & Calvinianorum, quam ipsi Reformatam vocant, non est vera Christi Ecclesia*: illamque aliquot argumentis probare satagit: quæ hac disputatione cum Deo resolvemus, examinabimus & refutabimus.

T H E S I S I.

Sic ergo disputationem hanc orditur Becanus §. 64. *Probatum primò ex dictis, quia una tantum est Christi Ecclesia: si ergò Romana seu Pontificia, in qua nos sumus, est vera Christi Ecclesia: certè reformata, in qua adversarii sunt, vera Christi Ecclesia esse non potest. Alioqui, cum hac ab illa dissideat, essent duæ Christi Ecclesie inter se diverse ac discrepantes, quod est absurdum.*

II. Certum est, si Asinus volat, habet pennas; sic, si Romana sive Pontificia Ecclesia est vera Christi Ecclesia; tùm omnes, quæ ab illa dissentiunt, erunt falsæ Ecclesie; proindeque Lutherana Ecclesia vera Ecclesia non est. Sed quod præsupponit Becanus, se demonstrasse, *Pontificiam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam*, in eo multis modis errat. Nihil minus enim demonstravit, ut præcedentes disputationes ad oculum

A 2

evin-

evincunt. Quia igitur una tantum est vera Ecclesia: & demonstratum est, Ecclesiam Romanam non esse veram; nostram autem orthodoxam, & ex assue cum sacris literis consentientem; uti etiam illud jam modo pluribus demonstrabitur; Conclusio Jesuitæ exnegativa in affirmativam est mutanda, nempe Ecclesiam Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam.

III. Progreditur Becanus ad argumentum secundum § 65. *Secundo, vera Ecclesia est sponsa Christi: At reformata Ecclesia non est sponsa Christi: Ergo non est vera Ecclesia.* Major superius probata est. Minorem probo ex principis Adversariorum, quæ sunt hæc tria. 1. Romanam Ecclesiam primis quingentis annis, aut circiter, fuisse veram & legitimam Christi sponsam. 2. Eandem post illud tempus cœpisse paulatim prostitui & corrumpi; ac eò tandem devenisse, ut tempore Lutheri, publica meretrix & adultera deprehensa sit, ideoque à Christo repudiata. 3. In ejus locum successisse Ecclesiam Reformatam, in qua Lutherani & Calvinista sunt. At hinc sequuntur multa absurda. Primum, omnia falsa esse, quæ de perpetua & indissolubili conjunctione Christi cum Ecclesia à Prophetis & Apostolis prædicta sunt. Secundò, nullum ex hac parte discrimen esse inter Ecclesiam Christi, & Synagogam Judæorum. Ultramq; enim propter adulterium fuisse repudiatam. Tertio, Christum aliquot seculis non habuisse sponsam, sed adulteram. Quarto ex hac adultera natos esse Lutherum & Calvinum. Quintò, Ecclesiam reformatam esse illo- rum novercam, non matrem. Videant ipsi, an hæc vera sint.

IV. Faciemus promtissime, quod jubemur. Initiò igitur Majorem libenter concedimus. Minorem quidem dicit Becanus se probare: sed nihil minus facit: sed tantum primam ponit nostras hypotheses; & illis subnectit quatuor absurda, addens, illa sequi existis nostris hypothesisibus. Quod verò non ita nudè & simpliciter affirmandum, sed firma consequentia probandum fuisset. Quod verò quia Becanus non facit, scopas nobis dissolutas objicit: quæ nihil probant, nihil confirmant.

V. Hypotheses igitur nostras quod attinet, non tres, sed quatuor supra disput. 12. tit. 74. & seqq. dedimus, nempe quatuor Ecclesie Novi Testamenti facies fecimus. Quarum
prima

prima fuit tempore Apostolorum, eaque clarissima & maxime conspicua: quando hi Christi delegati doctrinam Evangelii, ut eam veram ac sinceram à Christo acceperant, sic quoque puram & incorruptam in toto terrarum orbe prædicarunt, *Matth. 18. Marc. 16. Luc. 24. Col. 1.* Alteram faciem Ecclesiæ fecimus, quam habuit sanctorum patrum temporibus: qui quidem doctrinam ab Apostolis acceptam retinuerunt, sed humanis traditionibus, bona intentione susceptis, aliquantulum aspersam, ut conqueritur ipsemet *Augustinus Epist. 119.* quibus hæc Ecclesiæ facies paulatim obscurata fuit, & progressu temporis hæreticorum procellis magis magisque involuta. Tertia facies post primos quingentos annos secuta est, quâ tota degenerasse visa est. Quarta denique facies fuit, cum ultimis hæc temporibus Deus Lutherum suscitavit; qui reformationis opus in Germania confidenter suscepit, & laudabiliter finivit.

VI. Ex quibus liquet, Becanum primum confundere primam & secundam faciem: Deinde de altera, quæ duravit usque ad annum quingentesimum post Christum natum, non nostram sententiam, sed suam opinionem de nobis conceptam proferre. Ecclesiam quidem Apostolorum, quam ipsi Apostoli immediatè plantabant, sine ullâ maculâ, ratione doctrinæ, fuisse statuimus, licet & tum mysterii iniquitatis initia Satanas posuerit *2. Thess. 2. v. 7.* De hac Ecclesia, quæ verè primitiva, eleganter Egesippus apud Eusebium *l. 3. hist. Eccles. cap. 32.* ait: *Ad illa usque tempora virgo pura & incorrupta permansit Ecclesia, corruptoribus veritatis, & divini verbi temeratoribus, aut nusquam omninò extantibus, aut etiam, si qui fortè fuerant, in occultis & abditis terræ hiatus delitescantibus. Ut verò & Apostolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat viva vocis auditû, de hac luce discessit, tum velut in vacuum domum falsa doctrinæ impius error se immisit.*

VII. Sequentibus ergo quinque seculis non quidem puritatem planè amisit, non tamen omninò sine maculis fuit, uti illud superstitionum, errorumque sanè non levium apud

pates ingrauescentium, exempla obvia quamplurima non obscure testantur; ut certum sit Ecclesiam non profecisse magis atque magis: sed potius sensim defecisse, iusto Dei iudicio. Nihil ergo mirum, quod Ecclesia visibilis fuit redacta ad solitudinem illam, de qua Chrysostomus hom. 36. in 1. Corinth. *Ecclesia nunc similis est mulieri, quae à veteri prosperitate excidit, & multis in locis sola tenet Symbola antiqua illius felicitatis, & monilium quidem solas ostendit ebecas, divitiis autem est privata.* Sic Hieronymus in vita Malchi: *Ecclesia postquam ad Christianos pervenit principes, potentiam quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.* Unde manifestum est, quod ipsa antiquitas orthodoxa haec duas facies accuratè distinxerit.

VIII. Tertio, fingit novam suam hypothesein Becanus, *Romanam Ecclesiam tempore Apostolorum, & seculis proximè subsequentibus fuisse solam Christi Ecclesiam.* Quod falsissimum est: Erat quoque Ecclesia Corinthiaca, Ephesina, Galatarum, Colossensium, Philippensium, quas omnes non Petrus, sed Paulus; Samaritana, quam Philippus Diaconus, plantavit: Antiochena simul multos & præclaros Doctores habuit, Paulum Apostolum, Barnabam, Simonem cognomento Nigrum, Lucium Cyrenensem & Manahen, qui in pueritia unà cum Herode Tetrarcha fuerat educatus, haud dubiè ex clara familia ortus, &c. Hæ Ecclesie omnes nequaquam sibi invicem, nedum uni Romanæ subiectæ fuerunt, neq; Petrum pro capite, vel Romam pro sede vel cathedra primarii Episcopi agnoverunt: proindeque in sacra scriptura, & in Ecclesiastica historia Christianæ quidem & Apostolicæ dictæ sunt; nunquam Romanæ, nunquam Pontificiæ aut Petrinæ. Unde infallibilis veritatis exurgit hoc *πρόβλημα: Ecclesia prisca Novi Testamenti non fuit Romana, multò minus Pontificia.*

IX. Verum enim verò si omninò ita retineamus hypotheses, sive principia, ut illa nobis tribuuntur, & jungamus, nihil contra nos, sed pro nostræ Ecclesie veritate & orthodoxia concluditur hoc modo: Si Ecclesia Pontificia sive Romana primis annis quingentis fuit vera sponsa Christi, poste-
riori-

rioribus verò seculis propter fornicationes & defectiones repudiata; & nostra Lutherana in ipsius locum evecta; utique vel invito Becano sequitur infallibiliter, Ecclesiam Lutheranam esse veram Christi sponsam non Romanam. Haud secus ac necessaria est Consequentia, si Vasthi fuit revera uxor Ahasveri, postea verò, propter superbiam repudiata, & in ejus locum Esther evecta & suscepta; utique Esther revera est Ahasveri uxor, & non amplius Vasthi. Esth. i. Neget hanc Consequentiam Becanus, vel alius quispiam Jesuita. Sed qui potest?

X. Sed videamus, quomodo cum nostris hypothefibus five principiis, ut loquitur, connectat sua absurda, nobis afficta. Primum ergo ita vult hypotheticè argumentari. *Si Ecclesia Romana, sive Pontificia Ecclesia primis quingentis annis fuit vera Christi sponsa; seculis verò subsequentibus paulatim capit corrumpi, donec tandem tota defecit, & meretrix facta est; sequitur omnia falsa esse, quae de perpetua & indissolubili conjunctione Christi cum Ecclesia à Prophetis & Apostolis praedicta sunt: At prius Lutherani affirmant: Ergo posterius negare non possunt. Hoc omnibus rectè sentientibus absurdissimum est: Ergo assertio Lutheranorum quoque absurdissima, & neutiquam probanda.*

XI. Respondemus ad connexionem majoris: quod si illa vera & legitima esset, tum eodem modo cæteræ Ecclesiae, Ephesina, Antiochena, Corinthiaca, & similes cum data hypothefi possent connecti, & idem absurdum inferri. Nam & Ephesina Ecclesia, sic Antiochena, sic Corinthiaca &c. aliquando fuit vera Ecclesia & Christi sponsa. Verum ipsimet Pontificii istiusmodi connexionem non concedunt: qua ergo ratione nos cogent ut statuamus, majoris connexionem veram & infallibilem esse.

XII. Non ergo absurdum illatum sequitur ex nostris hypothefibus & fundamentis: sed ex subaudita & substituta hypothefi Pontificia, qua statuunt, *Romanam Ecclesiam esse solam & unicam totamque Ecclesiam Christi*: proindeque si illa deficiat, totam deficere: Quae verò hypothefis falsissima est, & nunquam à nostris concessa, sed semper & constanter pernegata.

gata. Non enim est tota Ecclesia, de qua loquuntur Prophe-
tæ & Apostoli: sed est particularis, æquæ ut Ephesina olim fuit,
ut Corinthiaca, ut Philippensis, Colossensis & cæteræ, de qui-
bus Prophetæ & Apostoli testantur, quod errare possint, illas-
que multoties errasse evidenter demonstrant. Quocirca quod
nos dicimus de Romana tanquam particulari Ecclesia, quod
fit facta meretrix, est verum: & quod Apostoli ac Prophetæ de
tota & universali Ecclesia affirmant, quod totaliter errare ac
deficere non possit, non est falsum.

XIII. Deinde quando affirmamus Romanam Eccle-
siam defecisse, intelligimus illam quatenus *visibilis* est, nempe
quod publicum ministerium attinet: interim non negamus in
ipso Papatu, & externo illo cætu Ecclesiam mansisse occul-
tam & invisibilem, ut sæpius ferè ad nauseam inculcavimus
hactenus. Si hæc nostra esset sententia: Corruptâ Ecclesiâ Ro-
manâ, nullam ubivis mansisse Ecclesiam: tum posset inferre,
Becanus Propheticas & Apostolicas prædictiones falsas esse.
Sed quomodo illud dicere possumus, qui firmiter credimus &
defendimus, Ecclesiam Romanam particularem non totam
Ecclesiam esse; simulq; concedimus, multa vera membra invi-
sibilia & occulta sub papatu mansisse: cum ita Ecclesia latere
possit, ut ne vestigium ejus publicè appareat, *Luc. 18. v. 8.* extin-
gui tamen tota nequaquam possit, *Luc. 12. v. 32. Sophon. 3. v. 12.*

XIV. Secundum Becani argumentum est: *Si Lutherana
hypotheses sive principia sunt vera; sequitur, nullum ex hac parte
discrimen esse inter Ecclesiam Christi & Synagogam Judaicâ: utraq;
enim propter adulterium fuisset repudiata.* Respondemus, con-
fundere Jesuitam Ecclesiam Judaicam, & populum Judai-
cum. Et deinde rursus illa, quæ sunt de essentia Judaicæ Ec-
clesiæ, & quæ ad externam formam & circumstantias ejusdem
pertinent. Essentiam ipsam essentialiaque Ecclesiæ Judaicæ
sive Veteris Testamenti quod attinet, non differt illis ab Ec-
clesia Novi Testamenti; quippe quæ eadem sunt utriusq;, nè-
pe una eademque fides, unus idemq; Dominus, unus & idem
Mediator. Quoad formam verò exteriorem & circumstantias
exter-

externas, discrimen esse concedimus: verum hisce sublatis, non statim Ecclesia ipsa fuit abjecta: sed potius fuit renovata, perfecta & illustrior reddita: quod enim futurum credidit, id coram vidit: quod magno desiderio expectavit, id cum Simeone magno cum gaudio suscepit, nempe Christum Redemptorem suum. Tandem populus Judaicus quidem ob ingratitude & infidelitatem suam ex vera Ecclesia est ejectus; Ecclesia vero vera nunquam repudiata. Eodem quoque modo sese habet cum particularibus & visibilibus Ecclesiis in Novo Testamento, quæ non, quatenus Ecclesiæ veræ sunt, repudiantur, sed quatenus populus ille, qui particulares illas Ecclesias materialiter constituēbat; formam veræ Ecclesiæ abjicit, hoc est, à vera fide deficit, & Dominum suum ac Mediatorem deserit; seipsum è vera Catholica Ecclesia excludit, & sic sua culpa ex illa ejicitur & repudiatur, manente interim a. ud alios, & aliis in locis Ecclesia veræ & orthodoxa. Esto ergo. nullum hac in parte sit discrimen inter Ecclesiam Romanam & Synagogam, hoc est, populum Judaicum; sed ut hic, sic & illa sit repudiata: inde tamen non statim inferendum: Ergo Ecclesia vera & orthodoxa Novi Testamenti est repudiata. Nequaquam vero. Vera enim Ecclesia Christiana nequaquam repudiata est: ut neque omnes, qui in Ecclesia Romana vixerunt, sunt repudiati.

XV. Tertium argumentum Becani est: *Si Ecclesia Romana post quingentos annos defecit: sequetur, Christum per aliquot secula non habuisse sponsam sed adulteram.* Sed qua necessitate hoc inferitur, Becane? Estne Ecclesia Romana omnis Ecclesiæ Nugæ. Est particularis Ecclesia: Hac ergo deficiente, aliæ adhuc manserunt, sive fuerint occultæ & invisibiles, sive manifestæ & visibiles: Ergo omnino mansit Catholica Ecclesia: & Christo sua sponsa.

XVI. Quartum & ultimum argumentum est: *Qui volunt esse filii Ecclesiæ, Ecclesiam vero Romanam dicunt adulteram, illi fateantur necesse est, se ex adultera natos & spurios esse. Lutherani id faciunt: Ergo fatentur se ex adultera esse natos, & spurios esse.*

B

Respon-

Respondemus ad Majorem, distinguendo inter Ecclesiam priscam Novi Testamenti, & Ecclesiam Romanam sive Papisticam. Ergo sic limito majorem: *Qui volunt esse filii Ecclesie priscæ Novi Testamenti, licet Ecclesiam Romanam Pontificiam dicant adulteram; nequaquam tamen propterea fateri coguntur, se esse ex adultera natos, & sic spurios.* Ratio est manifesta: quia qui hoc faciunt, negant Ecclesiam Romanam Pontificiam esse illam priscam Ecclesiam Apostolicam, sed dudum de fecisse ab illa affirmant & confirmant: negant quoque se ex Romana Ecclesia genitos esse; sed ab illa secessionem fecisse ajunt: Jam subsumentur Lutherani, qui volunt quidem esse filii Ecclesie, sed veræ, sed priscæ illius Apostolicæ: nequaquam Romanæ Pontificiæ, à qua etiam se genitos esse inficiantur: sed ab illa secessionem fecisse factò ipso probant.

XVII. Quintum argumentum est ipsa vanitate vanius. Concludit: *Ecclesiam Reformatam esse Lutheranorum novercam:* sed qua consequentia id ex nostris deducitur hypothsibus? Eadem planè, qua præcedentes conclusiones absurdæ. Repetendum ergo quod supra ex Paulo demonstravimus: Doctrinam esse matrem propriè: Ergo quando Ecclesia mater dicitur, propter doctrinam ita denominatur. Quæ ergo Ecclesia veram habet doctrinam cœlestem, illamque propagat, illa propter doctrinam & vera dicitur Ecclesia, & eadem cum illa, quæ eandem doctrinam habuit: & quæ doctrinam veram asserit, illa se convertit ad illam priscam Ecclesiam, & se cum illa unit, quæ istam primum professa est. Ergo quia Ecclesia Lutherana assumpsit illam doctrinam, quam priscæ Apostolicæ Ecclesie habuit & propagavit; rectè dicitur, quod sit eadem cum illa: si ergo Lutherana Ecclesia reformata est eadem cum priscæ Apostolicæ Ecclesie: illa autem nequaquam noverca, sed vera piorum mater est: sequitur, quod reformata Ecclesia piorum & fidelium Christianorum nequaquam sit noverca, sed vera mater, quæ filios verè pios & fideles vera & orthodoxa doctrina genuit & gignit. Videat nunc Jesuita, an hæc, an verò sua somnia vera sint.

18. Sed

XVIII. Sed videamus etiam subsequencia. Sic pergit
§. 66. Nos certè aliter sentimus de nostra matre. Non duas, sed unam
agnoscimus; non adulteram, sed castam; non repudiatam, sed sponso
suo unicè charam, & perpetuò illi adhaerentem. Nobiscum sentiunt
quotquot veri & genuini Ecclesie filii sunt. Ac imprimis D. August.
serm. 12. de tempore (qui est sermo 8. de natali Domini) ubi de Christo
& ejus sponsa sic habet: Hic est speciosus formà præ filius hominum san-
cta filius Mariae, sancta sponsus Ecclesie, quam suæ genetrici similem
reddidit. Nam & nobis eam matrem fecit, & virginem sibi custodi-
vit. Ad hanc quippe dicit Apostolus: Aptavi vos uni viro, virginem
castam exhibere Christo. De qua rursus dicit; Matrem nostram non
ancillam, sed liberam, cujus multi filii deserta magis, quam ejus, que
habet virum. Est ergo Ecclesie, sicut Mariae, perpetua virginitas, &
incorrupta fecunditas. Et serm. 50. de verbis Domini: Christus Ec-
clesie concessit in spiritu, quod mater ejus habet in corpore, ut & ma-
ter & virgo sit. Et rursus serm. 119. de tempore: Virgo est Ecclesia.
Dicitur mihi fortè: si virgo est, quomodo parit filios? Respondeo:
& virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit. Nū-
quid non virgo sancta Maria & peperit, & virgo permansit? sic & Ec-
clesia & parit, & virgo est.

XIX. In initio facile concedimus Becanum aliter senti-
re de sua Romana Ecclesia. Hæc enim quia meretrix est & ad-
ultera, non nisi spurios gignit: Quia ergo Becanus & sociienni
se filios Romanæ Ecclesie profitentur; utique spurii sint, & ex
adulterio nati oportet. At spurii filii non allegant, nec propa-
lant adulteria matris, nam tales deprehensi arcebuntur à sacris,
& exterminabuntur, & in novissimis diebus ingloriam agent
senectutem, Sap. 3. v. 16. 17. Hanc ergo infamiam & turpitudi-
nem quia veretur Becanus cum suis Jesuitis, prudenter quidè
facit; quod matrem suam adulteram laudet castam, suo sponso
unicè charam, & perpetuò illi adhaerentem; nobis tamen nul-
lis argumentis persuadebit, ut verum id esse credamus.

XX. Deinde falsum est, nos Lutheranos duas agno-
scere Ecclesias. Unam credimus sanctam, Catholicam & A-
postolicam Ecclesiam, illamq; castam & suo sponso adhaeren-
tem.

tem, & propterea charam: Romanam verò ab illa defecisse, anxie deploramus. Atq; hoc ipsum nobiscum sentiunt, quotquot veri & genuini filii sunt Ecclesie: imò ipse Augustinus illo ipso in loco, quem Becanus allegat. Inquis: Augustinum autem loqui de Romana Ecclesia? Falsum. De vera, orthodoxa, & Catholica agit Ecclesia: ne syllaba quidem Romanæ mentionem injicit. Et si vel maximè Romanam Ecclesiam illis suis verbis includeret: Distinguendum tamen esset inter illam, qualis fuit temporibus Augustini, ante foedissimam suam defectionem: & qualis fuit post illa tempora, seculis subsequentibus: ubi tota fuit mutata ab illa.

XXI. Pergit Becanus §. 67. *Ex quibus Augustini verbis tria colligo. Primò, Ecclesiam esse nostram matrem. Secundò, esse simul virginem, castam, incorruptam: non ad breve tempus, sed perpetuò. Tertio, in utroq; similem esse Mariæ Dei genetrici, quæ & ipsa mater, & nihilominus semper virgo, & incorrupta fuit. Hinc sumo duplex argumentum contra Adversarios. Unum, sicut olim habiti sunt heretici, qui dicebant B. Mariam non semper mansisse virginem: ita nunc habendi heretici, qui dicunt, Ecclesiam non semper mansisse virginem. Est enim eadem ratio utriusq; secundum Augustinum. Alterum, ideò Ecclesia dicitur mater, quia nos gignit in spiritu: Ideò virgo quia servat incorruptam fidem. At semper manet virgo, secundum Augustinum: Ergo semper servat incorruptam fidem. Facebant igitur, qui illam meretricem, adulteram, idololatricam contumeliosè appellant, &c.*

XXII. Tria, quæ ex verbis Augustini colligit, non attingimus; tantùm duo, quæ inde connectit argumenta, examinare operæ pretium erit. In primo ergo argumento nego antecedens Majoris. Non enim statim est hæresis, si quis neget Mariam virginem ἀειπαρθένον. Error quidem est, sed non hæresis. Ergo nihil aliud concludi inde posset, quam, qui dicit Ecclesiam non semper mansisse virginem, illum errare; non verò statim hæreticum esse. Deinde intelligit Jesuita in illa Majori. 1. Visibilem Ecclesiam. 2. Romanam. Ratio, quia nullam aliam agnoscit veram Ecclesiam, quàm visibilem & Romanam. Et
dein-

deinde, quia hanc solam Lutheranae opponit. Verum nego Augustinum Ecclesiam, vel quatenus visibilis est, vel etiam Romanam conferre cum Marię virginis perpetua castitate & virginitate: sed quatenus vera & orthodoxa, Catholica & universalis est. At neq; visibilis Ecclesia, neq; Romana est universalis, sed particularis, neq; omnis particularis est vera, sed sepius falsa, estq; mutabilis, ut exempla sepius allegata testantur: & hodierna quoq; Romana Ecclesia est falsa: Ergo Major illa, sensu Becani accepta, non desumpta est ex verbis Augustini, nec ejus autoritate nititur: sed est ficta Becani propria hypothesis, omni autoritate patrum destituta. Ecclesia ergo ut vera, ut sancta, ut catholica est, eatenus semper virgo & mater est, & hanc totaliter, ut talis est, plane deficere, & in meretricem sive adulteram degenerare posse, qui affirmat, in maximo errore est. Idem responsum esto ad secundum argumentum. Loquitur enim Augustinus de Ecclesia invisibili & Electorū: ideoq; perperam rursus ejus verba extendit Jesuita ad ceterum visibilem, sive Ecclesiam vocatorum, & in specie ad suam Romanam Pontificiam Ecclesiam, ut patet.

XXIII. Sequitur tertium Becani argumentum. § 68. Tertiò, inquit, *in vera Christi Ecclesia viget donum miraculorum: At in Ecclesia reformata, in qua Lutherani & Calvinista sunt, non viget donum miraculorum: Ergo non est vera Christi Ecclesia. Major patet ex Apostolo 1. Cor. 12. ubi confert Ecclesiam Christi cum humano corpore. Nam sicut in humano corpore sunt multa membra, que habent diversa officia & actiones: ita in Ecclesia sunt multi fideles, qui habent diversa dona à Deo concessa. Nam alius habet donum miraculorum, alius interpretationis scripturae, alius aliud. Rursum, sicut membra abscissa ab humano corpore, non possunt exercere ullam functionem humani corporis: (Nam oculus erutus non potest videre, nec auris abscissa potest audire; & sic deinceps) ita homines abscissi ab Ecclesia, non possunt habere donum miraculorum, quod soli Ecclesie datum est. Minor probatur, quia nullum unquam miraculum à Lutheranis aut Calvinistis patratum est. Ut verissime de illis scripserit Erasmus in Diatribe, de lib. arb. Nullum eorum adhuc extitisse, qui vet*

equum claudum sanare potuerit. Et tamen si verum esset, quod ipsi clamant, nostram Ecclesiam hactenus errasse, ac se à Deo specialiter vocatos esse ad eam reformandam; maximè fuisset necessarium, hanc ipsorum vocationem vel uno saltem miraculo confirmari. Quod nunquam factum est.

XXIV. Nego in Majore donum miraculorum esse vel proprium vel perpetuum in Ecclesia. Non perpetuum est. Primitivæ quidem Ecclesiæ, quando Evangelium de Christo in universum orbem propagandum erat per Apostolos & Apostolicos viros, addebat Deus donum hoc miraculorum *Act. 13. v. 11. cap. 16. v. 18.* illo autem propagato, & per totum orbem confirmato, desit rursus illud donum, adeò, ut hodiè potius sit nota Antichristianæ doctrinæ, quàm veri Christianismi. *2. Thess. 2. v. 9. Apocal. 13. v. 19.* Non proprium est. Deus enim sæpius hæreticis quoque & hominibus prorsus malis miracula edere permittit iusto iudicio, *Deut. 13. v. 1. & seqq. Matth. 7. v. 22. Marci 9. v. 39. Luc. 9. v. 49.* Hinc Augustinus non miraculis, sed sacris literis Ecclesiam demonstrari docet, *Tom. 7. de unitat. Eccl. sc. 7.* his verbis: *sed utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum libris canonicis ostendant. Quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, quod in Ecclesia Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, commendavit Milevitanus, Optatus, vel Mediolanensis, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi: aut quia nostrorum Collegarum Conciliis ipsa prædicata est: aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ frequentat nostra communitio, tanta mirabilia auditionum, vel sensitum sunt, &c. aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumtus audivit, sive ne iret in partem Donati, sive ut recederet à parte Donati. Quæcumq; talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideò ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.*

XXV. Ex quibus manifestum, miracula vel ipso Augustini tempore ad probandam veram Ecclesiam admissa non fuisse, utpotè quæ non probent veram esse Ecclesiam, in qua fiunt: sed potius vera & Catholica Ecclesia, si in ipsa fiant, probet miracula esse vera. Majoris probatio, quæ nititur dicto.

1. Cor.

1. Cor. 12. nulla est. Nam loquitur ibi Apostolus partim de Statu Ecclesiae illius temporis, partim etiam in genere de omnibus donis; quae distincte & divisim à Spiritu S. distribuuntur: Inter quae etiam est donum miraculorum: quae quidem singulari modo pertinere ad Ecclesiam ex hoc loco ostenditur; perpetuò autem in Ecclesia vigere debere, non dicitur. Interim ejusmodi semimiraculosam fidem, inquit Flacius in hunc locum, in Luthero experti sumus, qui in summis discriminibus, trepidationibusq; aliis, fuit infracto animo, optimumque eventum à Deo precibus impetravit; imò & mundum ipsum (rumpantur ut ilia Jesuitis) fide expugnavit. Et sanè si miracula vellemus allegare, possemus quam plurima adferre, quae hoc tempore persecutionis, qua Papani in hanc usq; horam affligunt nostram Ecclesiam, diversis iisq; plurimis in locis Ecclesiae nostrae sunt patrata. Quae si apud Pontificios contigissent, omnes Jesuitarum libri eorum referti essent. Ut ita nostra Ecclesia non simpliciter careat miraculis: non quidem quibus probetur veritas religionis: sed tantum ut iis homines ad poenitentiam instigentur, & liberationem ex periculis eò ardentius à Deo petant & expectent. Nostra enim doctrina non indiget miraculis, quippe quae vetus illa doctrina est, quae infinitis miraculis est confirmata.

XXVI. Autoritatem Erasmi non curamus, quem ipsi Pontificii pro semiEvangelico habent. Tandem reformatores Ecclesiae non semper opus habent miraculo, ut exempla Veteris Testamenti demonstrant. Et Johannes Baptista ad magnam sanè reformationem instituendam missus erat, sed nullum edidit miraculum, Job. 10. v. 41. sed hæc suo loco copiosius persecuti sumus.

XXVII. Quartum argumentum proponit Becanus §. 69. Quarto, inquit, vera Christi Ecclesia non potest errare in fide, cum sit columna & firmamentum veritatis. Ecclesia Reformata potest errare in fide. Ergo non est vera Christi Ecclesia. Major fusè probata est superius. Minorem coguntur adversarii concedere. Ajunt enim, ut sæpè dictum est, totam Christi Ecclesiam errare posse. Et Pontificiam,

tificiam, que olim fuit vera Christi Ecclesia, de facto errasse. Ex quo sequitur, totam quoque ipsorum Ecclesiam errare posse, ideoque neminem apud eos securum aut tutum esse de sua fide. Vel enim sequuntur Ecclesiam suam, vel ab ea dissentiunt. Si illam sequuntur, nihil certi habent, si ipsa errare potest. Si ab ea dissentiunt, magis perplexi sunt, quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum possunt.

XXVIII. Respondemus, committi fallaciam æquivocationis in voce *Ecclesia*. Si intelligat Jesuita Electorū, propositio est vera: si verò Ecclesiam visibilem vocatorum, tum falsa est. Deinde Ecclesia est & dicitur columna veritatis formaliter accepta, quatenus vera est Ecclesia, & veritatem celestem amplectitur & custodit, atque sic non errat: verum materialiter accepta omnino errare potest, & sæpius etiā multis modis erravit, & à veritate ac fidei sinceritate defecit. Porro dicitur Ecclesia *columna veritatis* non sensu Papistico, quod illam fulciat; sed sensu vero Spiritus sancti, quia illam sibi appensam custodit. Tertio Minor quoque laborat fallacia à dicto secundum quid. Nam Ecclesiam reformatam errare posse in fide affirmamus secundum quid: nempe quantum ad externos Professores fidei attinet. Ergo alio respectu eandem assertionem negamus, & dicimus, eam totam non errare, quantum ad electos, quos in gremio suo fovet. Hi enim fundamentaliter aut finaliter non errant. Quare quarto falsum est, nos tam crudè asserere, totam Ecclesiam errare. Nunquam enim diximus aut scripsimus eam totam ita errare, ut omnes & singuli, etiam electi, errent in fide. Committit ergo fallaciam Ignorationis Elenchi. Non enim nostra hæc est hypothesis; sed larva Jesuitica.

XXIX. Quinto Pontificiam Ecclesiam unquam fuisse Christi Ecclesiam, non dicimus, sed pernegamus: semper enim habuit Pontificem, & sic Antichristum pro sponso. Hæc verò est nostra sententia: Ecclesiam veram & Christianam, quæ olim Romæ fuit, sensim à fide defecisse, & tandem totam in Antichristianam fuisse mutatam.

XXX. Sexto, Comparationem inter Ecclesiam Romanam

manam & Lutheranam institutam, imperfectam esse probamus. Nam hæc non potest ita deficere atq; illa. Romana enim Ecclesiæ defectio est in sacris literis à Spiritu S. prædicta: Non ita defectio Lutherana Ecclesiæ. Postquam ergò cecidit Babylon, & Lutherana Ecclesiæ ex ea est egressa, debet crescere, augeri, & florere, licet sæpius ut lilium inter spinas. Septimò; cōcedimus interim, Ecclesiam Lutheranam totam posse deficere hoc vel illo loco, ut hodie vi ac tyrannide pontificia tota visibilis ejecta est ex Austria, Moravia, Bohemia, & multis aliis locis; at verò in toto mundo non potest deficere: ut neque in locis allegatis occulta, ac invisibilis electorum Ecclesiæ.

XXXI. Octavò, liquet nullam esse consequentiam, quam ex præmissis elicit Jesuita, nempe si tota Ecclesiæ Lutherana errare possit, quod nemo securus aut certus sit de sua fide. Nam antecedens vel est de actu vel de potentia intelligendum. Si de actu, responsio est expedita. Quando enim videmus Ecclesiam Lutheranam alicubi totam errare, debemus imitari Eliam, qui non communicabat cum erroribus Ecclesiæ Israeliticæ. Habemus enim firmum sermonem propheticum & Apostolicum, qui nobis lucet in densissimis etiã tenebris. Hunc ergo sequimur tanquam normam & judicem infallibilem: proindeq; licet tota Ecclesiæ externa erret, fideles tamen certi sumus, & manemus in fide; quia non errantem Ecclesiam sequimur, sed verbum Dei, quod errare & decipere nescit. Si de potentia: sanè misera ac jejuna est consequentia, respondēs huic: si omnes homines mori possunt: Ergo nemo, qui inter homines mortales vivit, certus est se vivere: vel etiam huic: si Antonius aliquando potest excidere Magistratu; Ergo jam certus non est se esse Consulem. Apage cum ejusmodi ineptissimis consequentiis.

XXXII. Hinc nonò facile intelligere est, quo loco subjecta dilemmata sint habenda. Destructo enim fundamento, omne quod superstructum erat, per se corrui. Vel enim rursus intelligit Jesuita Ecclesiam nostram actu errantem; vel quatenus nondum actu errat, de ea autem dicitur & statui-

statuitur, quod in errorem labi possit. Si intelligat eam actu errantem, tunc respondemus, quod, quatenus actu à veritate fidei deficit: non amplius sit nostra, sed à nobis egressa: proindeque illam electi neque sequi debent, neque sequantur. Quandoquidem nemo apud nos simpliciter sequitur Ecclesiam, sed quatenus tradit doctrinam haustam ex verbo DEI ideoque verbum Dei nos docet, quæ Ecclesia sit verè Lutherana, quæ non simulque prohibet errantem in fide sequi. Nulla ergo hic perplexitas. Si autem loquitur Jesuita de nostra Ecclesia nondum errante, sed adhuc in veritate persistente, licet possibile sit eam errare posse, illam certè, quamdiu non errat, nemo Lutheranus deserere potest, vel debet. Quod autem sciat illam non errare, rursus ex nullo alio iudice, vel Doctore habet, quàm ex solo verbo Dei.

XXXIII. Tandem quoque nulla est consequentia: si tota Ecclesia Lutherana errare potest; Ergo multo magis singula ejus membra. Pertinet enim huc usitata in scholis distinctio inter totam rem, & totum rei: sic totus homo est mortalis; sed non totum hominis. Nam anima rationalis immortalis est. Sic tota Ecclesia visibilis potest errare: quatenus nimirum ille cæcus visibilis totus spectatur: At totum Ecclesiæ visibilis errare non potest, quia boni & fideles malis & infidelibus admixti, non evertant fundamentum fidei. Sunt enim *ἐν τῷ κρυπτῷ*, quos Deus præservat ab erroribus capitalibus & finalibus.

XXXIV. Pergit Becanus §. 70. *Quod magis confirmo ex duobus principis, quæ ipsi statuunt. Unum est, Pontificiam Ecclesiam non subito, sed sensim defecisse à fide, ac tandem omni fide abiectam à adulteram factam esse. Alterum, defectionem illam initio fuisse latentem & occultam, adeo ut nec locus, nec tempus, nec alia circumstantia illius certò designari potuerint. Tandem tamen post aliquot secula à Lutero & Carvino publicè fuisse notatam & deprehensam. Ex utroque sic concludo: Quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ reformatæ: At Pontificiæ, ut Adversarii dicunt, sensim, latenter & occultè defecit à fide, nobis non advertentibus: Ergo etiam reformatæ potest sensim, latenter & occultè deficere ipsis non*
adver-

advertentibus. Quid si ergo iam defecerit, & ipsi non adverterint? Imò quomodo possunt advertere, si defectio latens & occulta est? Manent ergo incerti de sua fide & Ecclesia.

XXXV. Respondemus ad Majorem, illam Negando. Quādoquidem imparem rationem esse utriusq; Ecclesie modo probavimus, & porro idem inde constat, quod Ecclesia Pontificia non contenta fuit verbo scripto, sed illud imperfectionis, obscuritatis & incertitudinis accusans, traditiones humanas admittit: Lutherana contra in cultu & religione solum verbum Dei perfectum, clarum & certum admittit, & simpliciter sequitur. Quæ sanè dissimilitudo quoq; ac imparitas maxima est. Unde Majorem ita limitamus: Quod contigit Ecclesie Pontificie, illud quoq; potest, positis iisdem causis, si nimirum non contenta fuerit verbo Dei scripto, sed illud obscuritatis, imperfectionis & incertitudinis, (unde omnes errores & tota defectio Romanæ Ecclesie originem traxit) accusans, de maximis fidei articulis humanas traditiones admittit contingere Lutherane Ecclesie, quæ in cultu & religione solum Dei verbum perfectum, clarum & certum admittit & sequitur. Quis verò non intelligit sic limitatam propositionem sibi contradicere, & nullo modo veram esse posse.

XXXVI. Deinde ad minorem respondemus: Romanam Ecclesiam tunc sensim defecisse, quando traditiones admittere cœpit: De Lutherana verò Ecclesia nequaquam sperandum est, quod traditiones non scriptas admittit: Ergo neq; de illa sperandus ejusmodi error & defectio, qualem cum dolore & gemitu videmus & experimur in Pontificia Ecclesia.

XXXVII. Ad summam! Ecclesia Lutherana non potest ita errare, ut pontificia: quia reformatio cœpta à Deo magis ac magis perficitur. Deinde non potest tota Lutherana Ecclesia errare in fide, ut nemo advertat: quia impossibile est, ut ita tota deficiat, ut nihil ejus relinquatur incorruptum. Pars ergo sincera & incorrupta, quia semper in conspectu habet verbum Dei & illud sequitur, religionemq; non ex consensu Ecclesie vel traditionibus; sed ex solo illo scripto verbo aestimat, facile quoq; de

expullulantibus erroribus potest judicare, etiam tum, quando adhuc in herba sunt.

XXXVIII. Neq; etiam statuimus, errores in Ecclesiam Romanam ita irrepsisse, ut nemo planè illos senserit vel advertent. Quandoquidem statim primis annis quando traditiones in Ecclesiam sunt invecæ, illas observavit Augustinus, & hæc ipsa inde mala eventura prævidit: id quod ab alijs quoq; factum esse quis dubitabit?

XXXIX. Pergit Becanus. §. 71. *Hic planè constricti sunt. Nec video quid possint respondere. Nam quod aliqui dicunt, Ecclesiam non posse errare vel deficere à fide, quam diu sequitur verbum Dei, id frustra est. Primò, quia argumentum, quod jam posui, repetam, hoc modo: Quicquid contigit Ecclesiæ pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ reformatæ: At pontificiæ, ut ipsi volunt, sensim, latenter, & occultè deseruit verbum Dei, nobis non advertentibus: Ergo etiam Reformatæ potest sensim, latenter & occultè deserere verbum Dei, ipsis non advertentibus. Quid si ergo jam deseruerit, & ipsi non advertentibus? Nunquam elabentur ex hoc Labyrintho, semper manebunt dubij & incerti de sua fide, nisi nobiscum asserant, totam Ecclesiam errare aut deficere non posse.*

XL. An constricti simus, ut quidem triumphum canit ante victoriam Jesuita, judicet æquus & veritatis amans lector. Abunde sophismatibus Jesuitæ satisfactum esse confidimus. Quia ergo quæ sequuntur meri sunt coccismi, indigna utiq; sunt nova resolutione & refutatione. Omnia enim disertè & perspicuè jam modò sunt refutata.

XLI. Progredimur ergo ad §. 72. *Deinde, inquit, unde constabit adversariis, an nostra vel ipsorum Ecclesia sequatur verbum Dei, nec ne? Nos nostram defendimus, illi suam. Quis decidet hanc litem? Designent ipsi infallibilem judicem, qui sententiam ferat. Non possunt. Vel enim designabunt ipsum verbum Dei, vel Ecclesiam, vel singulos, qui sunt in Ecclesia, vel aliquos ex illis. Ac primò, si designent verbum Dei, nos vicimus. Nam verbum Dei expressè asserit, Ecclesiam esse columnam veritatis, quam nulla inferorum vires evertura sint. Idem nos asserimus. Si ergo hoc judice, causa desinienda est,*
victo-

victoria nostra est. Si autem designent Ecclesiam, contra se faciunt. Vel enim sententia Ecclesiae infallibilis est, vel falli potest, iterum errant ipsi, qui dicunt, errare posse. Si falli potest, iterum errant, quia cum debeant assignare iudicem infallibilem, designant Ecclesiam, quam ajunt falli & errare posse. Deniq; si designent vel singulos, vel aliquos eorum, qui in Ecclesia sunt: magis desipiunt. Si enim tota Ecclesia errare potest, quanto magis singuli, qui in Ecclesia sunt, errare possunt?

XLII. Respondemus, quod Ecclesia reformata sive Lutherana, & non pontificia, sequatur verbum Dei, id unice constat ex collatione utriusq; cum verbo Dei: quae non tantum ab Episcopo, sed à singulis est facienda: Unde Christus vehementer probat, quod Judaei scripturas sectabantur: Et Apostolus laudat diligentiam Berøensium, versantium scripturas, cumque illis docti inam propositam conferentium. Quocirca sola scriptura est iudex decidens hanc litem, quanam Ecclesia sit vera & orthodoxa: singuli autem credentes judicant secundum scripturam, beneficio spiritus sancti illuminantis ipsorum mentem, ut lucem scripturae & veritatem in ea disertè contentam & expressam videre & intelligere queant.

XLIII. Dn. Doct. Meyfartus rectè & eruditè dilemma retorquet in ipsos Pontificios. Designent enim ipsi infallibilem iudicem. Designabunt vel verbum Dei, vel Ecclesiam: si verbum Dei, Lutherani vicerunt. Verbum Dei enim dicit, Ecclesiam tempore Eliae, quantum publicum attinet ministerium, profusus defecisse. Reg. 19. v. 10. Idem Lutherani asserunt. Si ergo hoc iudice caussa decidenda est; victoria est penes Lutheranos. Nec obstat quod Ecclesia dicatur in scripturis columna veritatis. Committitur enim fallacia phraseos, quam saepius monstravimus ac refutavimus. De sententia Ecclesiae quid statuamus, ex modo dictis est clarum. Si enim Ecclesiae sententia est derivata ex scriptura sacra, & secundum illam unicam conformata; infallibilis est; si autem ex traditionibus non scriptis, & fictis pontificiorum hypothsibus est derivata, & in illis fundata, tum idem de illa, quod de fundamento ipso statuimus, nempe quod sit falsa, erronea, &

usa, & rejicienda: Cætera sunt nullius momenti & per se corruūt.

XLIV. Pergit Becanus §. 73. Fortè dicturi sunt, duplicem esse Ecclesiam; unam visibilem, in qua boni & mali permixti: alteram invisibilem, in qua soli prædestinati sunt. Totam visibilem errare posse, non item invisibilem. Sed hoc etiam frustra. Imò, qui hoc dicunt, secum ipsi pugnant. Nam omnes prædestinati, quos ajunt esse in Ecclesia invisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili, ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiã prædestinati errare possunt: Aut si hi nō possūt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quod autē prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, ne adversarij quidē negare possunt. Et ratio manifesta est, quia nullus salvatur extra Ecclesiam visibilem, ut conclus. 3. ex illorum concessione probatum est: At omnes prædestinati salvantur. Ergo nullus prædestinatus est extra Ecclesiam visibilem.

XLV. Fortè Lutherani non ita sunt dicturi: Supra enim satis nostram sententiam de hac distinctione exposuimus: quod non dividamus genus in species: sed unum distinguamus per diversas rationes & respectus, qui illi insunt. Quando igitur dicimus totam Ecclesiam visibilem errare posse, invisibilem verò & electorum non errare, nobiscum nequaquam pugnamus. Distinguimus enim inter totam Ecclesiam visibilem, & inter totam Ecclesiam visibilis. Quare non sequitur, Lutherani statuunt totam Ecclesiam visibilem errare posse; ergo necesse est, ut quoq; dicant, totum Ecclesie visibilis errare: Ut non sequitur, totus homo moritur: Ergo quoq; totum hominis moritur. Nequaquam, cum anima, quæ est hominis, sit immortalis, ut diximus.

XLVI. Subjicit nunc Becanus duo dilemmata, & primum proponit §. 74. Ex his, inquit, colligo duplex dilemma in adversarios. Unum est, vel tota Ecclesia visibilis erravit in fide ante ortum Lutheri, vel non erravit; si tota erravit omnes & singulos Christianos errasse necesse est, etiam prædestinatos. Nulla igitur tunc erat fides in terris: Unde igitur Lutherus eam accepit? si non erravit, cur adversarij fingunt errasse? cur eam, ut errantem, deserunt?

XLVII. Respondemus; 1. Tota quidem Ecclesia visibilis Romana Papistica ante ortum Lutheri erravit in fide: non, verò tota Ecclesia visibilis; quia in Oriente semper fuerunt boni Christiani, ut hætenus à nobis aliquoties est probatum. 2. Tota Eccle-

Ecclesia papistica visibilis erravit in fide, sed non simpliciter totum illius Ecclesie visibilis. Semper enim in illa fuerunt, qui non errarunt in fundamento salutis. 3. Etiam si tota Ecclesia papana erraverit in explicatione verbi Dei; non tamen plane abiecit verbum Dei, sed illud, in scriptis Prophetis & Apostolicis contentum, custodivit. Lutherus igitur ab hac ipsa corrupta Ecclesia, id quod bonum habebat & retinebat, accepit; malum vero, quod invaluerat præ bono, rejecit.

XLVIII. Alterum dilemma subjicit §. 75. *Alterum, inquit, vel tota Ecclesia reformata, in qua Lutherani & Calvinisti sunt, potest errare in fide, ipsis non advertentibus, vel non potest: si non potest, quomodo pontificia potuit? si potest, quid si jam erret, & ipsi non advertant? Repeto quod supra dixi, semper dubios ac incertos fore, quam aliena sentiunt Ecclesiam errare posse. Deponant hunc errorem, & id sentiant de matre Ecclesia, quod majores nostri senserunt. Sic futurum est ut amplius non errent.*

XLIX. Ad illud sufficienter est responsum. Negavimus enim totam Ecclesiam reformatam posse errare, ut nemo plane advertat. Imò & hoc negavimus, eam totam ita errare posse in fide, ut papisticam. Vbi etiam, quomodo Ecclesia pontificia potuerit in fide errare ostendimus, ut causa nulla sit, cur recedam crambem toties apponamus.

L. Quia ergo tota nostra doctrina de Ecclesia, ut sufficienter hactenus demonstratum, est ipsius Spiritus sancti Doctrina; Jesuitarum vero tota erronea & falsa; ipsos potius ad crassissimos hos errores agnoscendos & deponendos, & in posterum à calumniis ac injuriis, quibus sine fronte ac pudore nostras infestant Ecclesias, si vindictam Dei effugere velint, abstineant, sedulo hortamur.

LI. Tandem Epilogus, qui est *ἀνακρίσις* illorum, quæ toto hoc capite sunt proposita, annectitur: quia autem ista satis hactenus sunt examinata & refutata, illum adscribere, & novam refutationem instituire, supervacaneum duxi. Deo nostro sit gloria, & gratiarum actio sæculis æternis.

SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.



VERA *Papistarum* num Ecclesia; vera
Lutheri

Num sit, nos *Verbo* disquirimus: altera

Ferro

Pars secat, immanis sua Cerberus ora cru-
entans.

*At tu hanc depugna pugnam. Tibi certa Co-
rona est.*

αὐτοχρησία

*M. Christophorus Meelführe-
rus Onoldinus Francus.*

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







55

TERTII
Confessionem

IO XXII.

nens

ARTICVLI VII.

clesia,

ecie,

STIONE:

cclesia sit vera

Ecclesia.

ita,

nia VVittebergensi,

SIDE

RTINI S.S.Th.

rimario, Facult. Theol.

i Arcis Præposito,

DENTE

ARTELIO, Adorfensi

o Brandenburg.

Collegii Veteris

Sept.

ER G Æ,

AUERBACH, Acad. Typogr.

DC XXX.

